
FASCICULUS
Utilissimarum quæstionum
Ex
Nobilissimâ Contractuum materiâ juxta ordinem in Instit. Imper. traditum, excerptarum

QUAS
DIVINA ADSISTENTE GRATIA

Ex Consensu & permissu Magnifici, Nobilissimi & Amplissimi ICtorum Ordinis, in celeberrima Academiâ ad Salam



SUB PRÆSIDIO
VIRI
Magnifici, Nobilissimi Amplissimi & Consultissimi
Dn. DOMINICI ARUMÆI, ICti

famigeratissimi, Hæreditarij in Löbedaw & Geschwitz/ Consiliarij Saxonici gravissimi, Decretalium in inclyta Hac Salanâ Professoris Publici, Facultatis Juridicæ & Scabinatus Ordinarij meritissimi, p. t. Decani spectatissimi, Dicasterij item Provincialis Adsessoris primarij &c. Dn. Promotoris, Præceptoris & Hospitis sui æternum suspiciendi, publicæ placidæq; disqvisitioni in ICtorum auditorio
Ad diem Decembris
Ventilandas & discutiendas submittit
JOHANNES CHRISTOPHORUS Mengwein/
Obrdruffio Thuringus.

JENÆ
E Calcographéo PHILIPPI LIPPOLDI.
ANNO M. DC. XXXV.

Alma *Trias!* nunqvam ſine Te cum proſpera cæpta:
Aures, Cor, lingvam dirige qvæſo, meam.

M*Ulti ſunt, qvi exercitia diſputatoria è ſcholis exterminant, eademq́, propter varia dubia, qvæ hic moveri & decidi ſolent, & propter multas alias parvi momenti cauſas inutilia, imò Junenili ætati venenoſa proclamant; Sed qvàm falsò, non opus eſt multis; Experientia ipſa Contrarium demonſtrat. Veritas enim ſæpe numero tecta jacet, & non niſi nebulis iſtis, ſub qvibus latet involuta, diſcuſſis, apparet. Probè Ergò Conſideranda & ad lydium lapidem, Logicam doctrinam diſputandi, ſophiſticationes detegendi, & veritatem producendi, tradentem, probanda ſunt omnia, ne falſa pro veris, venenum pro melle, & damnoſa pro ſalutiferis ſub ſimulatâ forma veri credamus ſive accipiamus. Taceo qvòd diſputationes acuant ingeninm, memoriam adjuvent, & plauſibilem lingvæ adferant promtitudinem. His ponderatis mihi materiam aliqvam, de qva diſqvirendo meam tenuitatem exercere, doctisq́, inſtructionib publice locupletare poſſim, ſeligenti, ad ICti conſilium, in quò vult, ut qvotidiana tractentur,* l. ligav. 25. ff. de liber. leg. *placuit qvæſtiones qvasdam non inutiles ex quotidiana, & nunqvam ſatis laudata contractuum materiâ, excerptas conſcribere, & publicè examinandas proponere. Si qvæ Ergò vel pro dignitate non ſufficienter tractata, vel pro gravitate acutioris ingenij radios requirentia à mea ruditate, cujo mihi benè cõſcius, diſcutienda ſuſcepta ſint; ſciat, velim, Benevolus lector, eſſe Exercitiũ: Et nullus dubito, qvin facilis erit impetratu condonatio, qvã decenter peto.*

Sit Itaq;

IN NOMINE DOMINI.

QUÆSTIO PRIMA.

AN pecuniam mutuo datam, in aliena monetâ, qvàm qvalem accepit, soluere debitor possit?

Si qvid à Contrahentibus pactione definitum ac determinatum est: tunc illud inviolabiliter custodiri debet, *per l. contractus. 23. ff. de R. J.* Si verò nihil de pecunia, eadem in materia vel forma restituenda ab initio contractus convenerit; tùm aliâ quoq; in materia, aliaq; in forma & monetâ reddi posse creditum probatur ex *l. 99. de solut.* ubi à contrario sensu rectè argumentamur: Si damnum ex eo non est passurus creditor cogitur accipere. Qvam seqvitur *l. quæ extrinsecus. 65. §. 1 ff. de V. O.* ubi habetur, qvod stipulationi nihil obstet, si stipulanti denarios (qvi erant argentei) promittantur aurei eiusdem quantitatis: Cum tamen dissensus in re vitiet stipulationem, *l. 83. §. 1. de V. O.* Cui consonat illud Pomponij *in l. 1. § fi. ff. de aur. & arg. leg.* qvòd videlicet debitor certi ponderis argenti, liberetur ipso jure, dando pecuniam numeratam, si in pecunia soluta eadem fuerit æstimatio. Æstimatio enim, licet à Rebus differat, ipsam rem tamen repræsentare dicitur, & non minus intelligitur habere is, qui habet æstimationem, qvàm si rem ipsam haberet, *l. 33. & 34. ff. de pecul.* Hinc est, qvòd is qvi monetam tanti precij, qvanti sua fuit, recipit, non aliud pro alio accipiat, licet materia vel lamina, das Korn und Schrot / fuerit diversa. In nummis enim non tàm ad ipsam massam materiæ seu Corpus, qvàm ad precium seu valorem Jure publico statutum respectus habitus fuit, *l. si is cui 94 §. 1. ff. de solut. l. orig. emendi. 1. de Contr. empt. l. cum aurum 49 §. 1. l. Titia 35 ff. de aur. & arg. leg.* cum nummi inter res in corporales referantur, *l. 95 de leg.*

leg 3. l 5 ff de impensis in res dotal. fact. l 34. §. 3 ff. de leg. 1. Hæc omnia tamen cum ANDREA GERHARD, in exerc. Justin. dist. 12. §. 6. tum demum procedere putamus, si certa summa, puta in Joachimicis tanquam summa mutuo accepta sit: Si verò certi generis nummi puta 100. Joachimici, ut Joachimici dati fuerint, tunc in eodem genere monetæ eos reddendos.

II.

Æstimatio temporis Contractus servanda est, si valor monetæ mutatus sit.

Quia in hoc qvod præsens fuit, magis consensisse contrahentes verisimilius est, qvàm in id qvod sub incerto esse potuit, arg. l 7. ff. de aur. & arg. leg. In nummis etiam magis respiciendum ad qvalitatem seu valorem, ut in preced. thesi dictum, qvàm ad corpus ipsum. Nec idcirco Creditori plus solvitur, qvàm dederit, si precium pecuniæ auctum fuerit: Nec minus, si deminutum: qvia debitor nummos exponit secundum valorem temporis contractus; non temporis solutionis; qvùm nemo ideò sumat pecuniam mutuam, ut domi habeat otiosam; sed ut illâ etiam urgente necessitate utatur, utendoq; expendat eam, Wesenb. in par. de Reb. Cr. d. n. 12. pag. (mihi 363. qvod ita demum verum est, si debitor in mora non fuerit: alioqvin videtur debitorem condemnari oportere, qvanti plurimi tempore moræ creverit æstimatio l. vinum. 22. ff de Reb. Cred. l. 21. §. cum per venditorem. 3. ff de act. empt. Magnif. & Nobiliss. Dn. Præs. Præceptor, Fautor & hospes meus per totam vitam submissè colendus & suspiciendus. Exerc. 12. th. 11. Et secundum hanc sententiam Camera judicavit, Mynsing. Cent. 4. observ. 1. Gail lib. 2. observ. 73. n 3.

III.

An interessurium medij temporis condici possit, si ante diem solutum fuerit, qvod in diem debebatur? Affirm:

Qvia alias Creditor, cui ante diem solutum, cum detrimento & manifestâ debitoris injuria locupletaretur. Qvòd autem nemo cum alterius damno locupletari debeat expressa juris regula extat, in l. 14 ff. de Cond. ind. eb l. 206 ff. de R. J. maximè cum debitor plus solvit, cum ante diem & citius solve-

it: qvemadmodum is dicitur plus petere, qui ante diem petit, & minus soluit qvi tardius soluit. Si Ergo Plus illud solutum repeti prohiberetur, qvidni Creditor contra regulam modò allegatam cũ debitoris damno ditior efficeretur? Adde qvòd dies, sit pars obligationis *l.1.§.editiones ff.de edendo.* Et ob hoc neutiqvam absurdum, si dies etiam in obligationib. consideretur, ejusq; respectu plus minusve solui dicatur.

IV.

An Actioni Commodati opponi possit Compensatio?

Negantibus subscribimus, moti *l. ult. C.commod.ubi* expresse legitur prætextu debiti, restitutionem commodati non probabiliter recusari; Ratio desumi potest ex *l.4.C.de compens. l.6.C.de rei vind. l.si convenerit.18.in pr.ff de pignor.act.* qvòd cõpensatio tantum locum habeat, in qvantitatib. qvæ inter se mutuam functionem recipiunt, non verò in specieb. i.e. individuis (species enim hîc aliter, quam apud Philosophos sumitur. Philosophis species est id, qvod de plurib. individuo differentib. prædicatur, hîc verò nomine speciei denotatur ipsum individuum, Wesenb. *in par.ff de Reb. Cr. n.11. Gothofr. ad d. l. 2.cod.*) Commodatum autem consistit saltem in specie. Neq; enim potest id commodari, qvod usu consumitur, *l.3.§.fin.ff.de Reb.Cred.* Et si nummi commodato dantur tuncis eodem modo uti debemus, qvo alijs reb functionem non recipientibus puta tantum ad pompam, ostentationem & *Dicis gratia* propter imaginariam solutionem & numerationem. Nummi enim isti statim plerumq; redduntur; cum tantum accepti sint, ut qvis ijs fucum faciat, & ostendat gloriosè se hominem esse locupletem, idoneumq;: Id enim est, qũod dicitur *Dicis gratia, in d. l. 3. §. fin. & l. 4. Wesenb. in par. n. 4 ff. Commod.* Speciei porrò in certa æstimatio est: proinde neq; compensatio ejus admitti potest. Adde qvòd aliud pro alio inuito Creditori solui neqveat, *l. 2. §. 1. Si certi pet.* Qvod maximè fieret si cõpensare speciem cum specie liceret. Siqvidem compensatio nihil aliud est qvam solutio, *l. vel permutavit. 19. de lib. caus. l.si debitor.4.ff.qui potior.in pig.l. amplius, non pete.16.ff. Rem ratam hab, Wesenb.in par.de compens.n.6.* Contrarias opiniones refutatas;

tas; inprimis qvid de Cujac. reformatione *legis ult. C. Commod.* sentiendum, videre licet apud *Magn. & nobiliss. Dn. Pres.* *Exerc. 12. th. 12. & disp. ad pand. th. 12. th. 2.*

V.

An Rei depositæ possessio in seqvestrem transeat?

Negativæ opinioni satis firmum præstat patrocinium *l. interesse 39. ff. de acquir. vel amitt. poss.* ex qvâ colligitur regulariter possessionem per seqvestrum non transferri, nisi contrarium expressè actum, & seqvestratio ea mente facta fuerit, ut ipsa possessio rei litigiosæ dimittatur, & in seqvestrũ transferatur; alias si non omittendæ possessionis, sed custodiæ causâ deponatur, cum sc. partes certant judicijs possessorijs, verius est non seqvestrum, sed deponentes per seqvestrum possidere. Hac distinctione stante corruent dissentientium argumenta, qvorum præcipuum *ex l. 17. ff. depos.* eruere conantur. Heîc enim Florentini mens est, seqvestrum tùm demum possidere, si possessio fuit dimissa, & apud ipsum deposita, qvod illa verba indicant, *Nisi apud seqvestrem deposita sit, possessio &c.* Sententia nostra ulterius stabilitur ex eo, qvòd 1. in deposito, cujus species est seqvestratio *arg. l. 5. §. 1. l. 6. l. 17. ff. depos. l. 5. C. eod. l. interesse puto. ff. de adquir. vel amit. poss.* non transferatur possessio: qvia non possidendi sed custodiendi causâ rem teneat depositarius *l. 1. in pr. ff. depos.* in qvantum autem differant custodia & possessio videre est in *l. 3. §. fin. ff. de acquir. vel amitt. l. 5. in pr. ff. ut in poss. leg.* qvòd deinde depositum non sit titulus habilis ad possessionem transferendam *l. 1. in pr. ff. depos.* hoc autem deficiente custodiæ causâ res tradita censetur, *l. cum pater. 77. §. patr. plurib. 21. ff. de leg. 2.*

VI.

An Vxor ratione dotis præferatur omnibus mariti creditorib. expressam qvoq; hypothecam habentibus?

Multa & insignia privilegia Imperator Justinianus promulgavit mulierib. ad ipsarum fragilitatem, *l. assiduis. 12. C. qui potior. in pig. habeant.* pericula in partu subeunda. *§. sed nos 4. Inst. ad SC. Tertyll. Nov. 162. c. 3. Nov. Leonis. 17 l. 2. §. 4. ff. si qvis caut.* & alia incommoda, qvibus præ cæteris gravantur, respiciendo invenit

venit

venit, inventa legibus sanciuit, & in jure dicundo observari constituit. Quorum unum etiam est in dote, qvæ qvòd publicè interest dotes mulieribus conservari, dotatasq; fœminas esse ad sobolem procreandam replendamq; liberis civitatem *l. 1. ff. solut. matr.* usq; adeò fauorabilis est, ut ejus gratia, uxor non modò ex constit. Imperatoris Justinia. tacitam hypothecam in bonis mariti habeat, *§. fuerat. 29. Inst. de action.* sed omnibus creditoribus etiam anterioris temporis privilegio vallatis in persequendo pignore anteferatur *arg. l. assiduis. 12. C. qui potior in pign.* Hæc proximè allegata *assiduis l* ansam Dd. præbet, qværendi, *Vtrum mulier mariti creditorib. omnibus tàm expressam, qvàm tacitam hypothecam habentibus sit præferenda?* Non desunt qvi dicant *d. l. assiduis 12.* loqvi de ijs creditorib. anteriorib. qui tacitam tantum hypothecam in bonis mariti habeant, atq; hoc in casu mulieri prærogativâ concedere, nō verò de expressam habentib. Attamen nos Creditorib. expressam etiam hypothecam habentib. uxorem esse præferendam contendimus: qvia *l. assiduis,* non distingvit, sed universaliter de omnib. creditorib. concludit. Nota autem vulgaris reg. qvi omnia dicit, nihil excipit. Et velim dissentientes si regerant hac particulâ Vniversali omnes creditores tacitam tantum hypothecam habentib. venire, instructi probatione sufficienti prodeant. Taceo qvòd legislator in dubio præsumatur propriè, clarè & perspicuè locutus *arg. l. non aliter 69 ff. de leg. 3.* Non minus roboris addit sententiæ nostræ stabiliendæ *d. §. fuerat. 29. Inst. de action.* ubi expressè quoque & genericè Imperator dicit, se mulierem alijs Creditoribus præferendam duxisse. Huc facit pro tertio argumento adstruendo, quòd mulier præferatur ei cujus pecunia res empta est, *Nov. 97 c. his conseqvens. 3.* licet hic omnib. anteriorib. etiam expressâ hypothecâ provisis sit potior *l. 5. ff. qui potior. in pign. hab.* qvantò magis ergo alios vincet uxor, si vincentes ipsos vincit, *arg. l. 14. §. 3. v. qvi me potior est ff. de divers. tempor. præscript* Quid quòd unus idemq; finis sit tacitæ & expressæ hypothecæ, commodum scilicet Reip. *l. 1. ff solut matrim. l. 2. de Jur. dot.* Et ita statuunt *Magn. & Nobiliss. Dn. Præses, disp. ad pand. 14. th. 9. Hunn. lib. 3. tr. 3. part. 5. q. 4. Motz.*

VII. Si

VII.

Si stipulanti decem promittantur viginti, an valeat stipulatio? ardua quæstio est.

Pro affirmativâ satis perspicuus est textus *in l.1.§.4.ff.de V.O.* ubi ratio etiam adjicitur, cur ejusmodi stipulationes sint efficaces? qvia nimirum viginti insunt decem. Nec est, quòd dicatur, heic non esse congruam responsionem, qvæ tamen ut necessarium & substantiale reqvisitum debeat seqvi stipulationem, *arg. l. 1. §.3.de V. O.* Negamus enim heic non esse congruam responsionem ad stipulationem datam, cum quis maximè stipulanti 10. sub nomine viginti, 10. & semper promittat id, quod in stipulationem deductum est: quamvis reliqua 10. sint inutilia: notum enim, utile per inutile, non vitiari *d.l.1.§. 5.de V.O.c.utile de R.J. in 6.* Regerant *Ferret. Cujac. Borchol.* & alij quid velint; reqviri approbationem, ut videlicet tum demum valeat ejusmodi stipulatio in 10. si stipulatori illicò placuerit ista responsio: Errant namq; in ratione, ob qvam hujusmodi stipulationes à ICto efficaces pronunciantur. En! ICtus ait, properea, quòd viginti insunt decem (quantitas enim est divisiua, nec statim vitiata materia, tota res interit: In conditione verò & modo si responsio ab interrogatione differat stipulatio omninò vitiata est *d.l.1.§ 3.* Modus enim & conditio divisionem non recipiunt, qvippè cum formam spectent, qvæ mutilari & dividi non potest *l. hæredes.21.de testam. l. stipulationes l. continuus.ff de V. O.* Vnde etiam in stipulatione, qvæ quoad modum & conditionem non est congrua, nec pars reperiri potest utilis *l obligationem.44.de O.& A.*) dissentientes, quòd stipulanti illico placuerit responsio. Falsum posterius: quia, si hanc ob causam putativam valeret stipulatio, non posset dari ratio cur tantum in 10. & non in totum, in 20. sit efficax, cum tamen aliàs, qvoties adjicitur aliqvid vel detrahitur stipulationi sit vitiata obligatio: nisi in continenti stipulatori diversitas responsionis placuerit, *arg.d.l 1.§.36.ff.de V.O.*

IIX.

Vtrum cum fundum stipuler, veniant fructus, qvæ stipulationis temporè sunt? in disqvisitionē vocare operæ pretium erit.

Parti neganti nos adſtipulamur, innixi expreſſè *l. 78. §. 1. de V. O* ratio depromitur *ex l. 99 ff. eod.* ubi dicitur illud, quod palàm verbis expreſſum non eſt, in ſtipulatione pro omiſſo haberi: Hic autem fructuum in ſtipulatione nudi fundi nulla fit mentio; Ergo. Parum obeſt, quòd fructus pars fundi dicantur *in l. fructus pendentes. 44. ff. de Rei Vind.* pariq; ſub toto comprehendatur, *l. ſi quis cum tot. ff. de except. Rei Iud.* quia hæc ratio tum demum procedit, cum quis fundum *ſuum* judicio petitorio petat: Atq; hoc caſu æquitati conſentaneum eſſe fructus domino fundum *ſuum* vindicanti cedere ut partem ſoli, ambabus manib. largimur: fructus autem partem fundi per ſtipulationem primitus acquiſiti, de quâ nobis hic ſermo eſt, vel tunc eſſe, cum ipſi cohæreant, negamus: quia eæ demum verè proprieq; dicuntur partes, *teſte Philoſopho 1. pol.* quæ toti ſuo ita adhærent, munusq; ſuum obeunt ad totius conſervationem, ut abſente illa parte res totalis eſſe nequeat: qualis eſt rota in vehiculo. Multò ſecius in fundo, ad cujus ut totius cõſervationem fructus nihil agunt, cùm fundus ſine fructib. ſubſiſtat. Pars deniq; ejuſdem naturæ debet eſſe cum toto: fundum autem rem immobilem & ſoli, contra fructus mobiles eſſe quis eſt, qui neſciat? His non contenti in contrarium inclinantes de alijs argumentis contra noſtram ſententiam debilitandam fabricandis, valde ſunt ſolliciti: quemadmodum videre eſt *apud Donell. Magnif. & nobiliß. Dn. Præſid. diſp. ad. pand. 22. th. 16.*

IX.

Quæritur porrò, An ſtipulatio imperſonaliter concepta ut Dabis? Dabitur, valeat?

Hujusmodi verborum conceptio in ſtipulatione, quamvis obſcura, & primo intuitu non videri poſſit, pro quo promiſſum. Interim tamen cum alteri nemo ſtipulari, aut de alterius facto quicquam promittere poſſit, *§. alteri. 19. Inſt. de inutil. ſtipul. l. ſtipulatio. 38. §. alteri. 17 ff. de V. O.* Obſcuritas etiam, ſi qua eſt, ex præcedenti interrogatione facilè lucem accipiat, *§. præterea. 5. Inſt. de inutil. ſtipul. l. Titia. 134. §. idem reſpondit. 2. h. t.* Sicuti reſcripta ambigua ex precibus

im-

impetrantium antecedentibus declarantur *l. 1. C. de diversi rescript.* Responsiones obscuræ in jure & judicio subsecutæ ex præcedente interrogatione *l. si sine, 9. §. qui interrogatus. 5. ff. de interrog. action,* Stipulationem hujusmodi valere, & respondentem teneri dicendum. Contra eum enim ambigua verba interpretenda sunt, qui legem apertius conscribere potuit, nec fecit, *l. veteribus 39. ff. de pactis:* qualis hoc casu est respondens. His insuper hodiè non tàm certa & solemnia verba in stipulatione, quam mentem & sententiam stipulantium inspicimus *§. in hac re olim. 1. Inst. h. t. §. præterea Inst. de inutil. stipul.* Hinc rectè etiam stipulatio initur his verbis. Dabis? quidni? *l. 1. §. si quis ita. ff. h. t.* Est enim particula illa, quidni? dictio concedentis, ac si dicas, nô recuso, *teste Alciat. in d. l. § si quis ita. n. 6. & 7.*

X.

An fidejussor pro dote conservandâ accipi possit, si à marito sponte fuerit oblatus?

A marito invito mulierem pro dote conservandâ fidejussorem exigere non posse liquet ex *l fin. C. ne fidejuss. vel mandat.* ratio est, ne causa perfidiæ in connubio eorum generetur. At hæc ratio cum cesset in eo casu, ubi volens & sponte maritus fidejussorem constituit (nec enim, ut *Magnif. & nobiliss. Dn. Fres. exerc. 13. θ. 12. loquitur,* uxoris hic ulla diffidentia est, sed potius mariti laudanda promtitudo, qui fidejussores constituit, non quia perfidiam ejus uxor timet, sed ut dos, quam conservari Reipubl. refert, *l. 2. ff. de. jur. dot. l. 1. solut. matr.* ei magis in tuto sit, multis enim modis contingere potest, ut maritus post acceptam dotem solvendo esse desinat, atq; *per hoc* mulier suâ dote carere necessè habeat, quam aliàs consequi poterit, si fidejussor datus fuerit, qui in subsidium deficientis mariti conveniri poterit) obtinebimus propositam quæstionem esse affirmandam. Cui satius fulciendæ substerminus etiam 1. quòd quivis fidejussorem dare & accipere possit, qui non reperiatur expressè prohibitus: At in Jure nostro nullibi reperitur maritus prohibitus fidejussorem dotis conservandæ causa dare, nec Uxor

fidejussorem à marito accipere. Quemadmodum deinde Tutor testamentarius non est cogendus satisdare rem pupilli salvam fore; si verò paratus est, satisdare, audiendus est, *per l. 17. ff. de testam. tutel.* quia suo privilegio renunciasse videtur, *arg. l. pen. C. de pact.* Sic quoq; maritus non cogitur quidem fidejussorem dare *l. 1. l. 2. C. ne fidejuss. & mand.* si tamen sua sponte eũ dederit, omninò tenebitur fidejussor: lex enim non favet ei, qui se ipsum in necessitatem conjecit, *l. 34. ff. de Jur. Fisc.* Idem statuitur *in l. sed etsi quis. 4. §. fin. ff. si quis caut.* Verum porrò hic: quod fieri non debet, si tamen factum fuerit, valet & tenet *arg. l. 1. §. biduum. ff. quand. appell. sit. l. non solum. 52. ff. de Jur. Dot. l. quod autem. 53. ff. pro socio.* Scimus deniq; pignoris & fidejussionis unum eundemq; finem esse, videlicet ut Creditorib. nostris diligentius cautum sit *in pr. Inst. de fidejuss. l. 1. ff. qui satisd. cog.* Atqui pignus uxori à marito pro dote dari potest, per *l. quod autem. 7. §. si uxor. 6. ff. de donat. inter vir & uxor.* Quidni igitur & fidejussor?

XI.

An in causâ criminali fidejussor dari possit?

Ad hujus quæstionis solutionem, quæ insigniter difficilis & utilis, adeò ut in ea expediendâ, referẽte Hũnio, omnis ætatis doctissimi ICti vehementer laborârint, multũ proderit, annotasse prius, duplicis generis esse delicta, aliaq; pœnam mereri pecuniariam, alia verò Capitalem seu corporis coërcitionem. *Circa pecuniariam* dicimus secundum Concordem ferè & unanimem ICtorũ opinionem, reum ob hujusmodi delictum in carcere detentum datis fidejussoribus custodia & carcere esse relaxandum: quia sicuti ab ipso reo, ita & ejus fidejussore huic pœnæ satisfieri, & judicatum solui potest: Siquidem non agitur de pœna corporis afflictiva, & per eum non impeditur, sed multo magis promovetur pœnæ executio. Magna autem ratio svadet, pœnas ob maleficia persolui, *l. 70. §. fin. h. t. l. 27. §. 4. ff. de pact. l. 51. §. 2 ad L. Aqvil. l. 14. C. de pœn.* Nihilq; interest hoc in casu à quo soluatur, modò solvatur, *arg. l. 23. l. 53. ff. de solut.* Addimus & hoc, quòd regulariter in delictis fidejussor sit recipiendus, prout elucescit ex *l. 8. §. 5. l. 56. § fin. h. t.* Sunt quidem, qui

qui hîc ita distingvere solent: Aut aliquis in ipso flagranti facto vel fuga deprehenditur, wird in handthaffter oder auff frischer That / oder in der flucht der Thatbegriffen vnd gefangen: Aut Criminalis accusatio pernoctata est, ut loquuntur, ist vbernächtig / hoc est intra spacium 24. honarum non facta est, ist nicht klagbar gemacht worden. Posteriori casu sententiam nostram veram, priori verò falsam pronunciant. Sed ut nostra opinio indistinctè procedat, ex jam allatis legibus & rationib. satis liquet. *Circa capitalem* subdistinguimus: Aut quæritur, de fidejussore dando de *judicio sistendo*, ut videlicet reus in carcerem eat, & ex eo causam dicat: Aut de fidejussore dando pro ipsa pœna principali, quæ in condemnationem venit, & ita de *judicato solvendo*. *Priori modo* arbitrio judicis (in quibus autem officium vel arbitrium judicis versetur, ostendit eleganter *Bachovius ad Treutl. vol. 2. disp. 28. th. 3 lit. A.*) Consideratis circumstantijs & delicti personæq; qualitate, reum relaxari posse credimus datis fidejussorib9, idq; suadet *l. 1. l. 2. l 3. ff. de custod. & exhib. reor. l. 6. §. 3. l. 12. C. de appellat. l. 16. C de dignitat. c. 15. de sentent. excommun. in 6.* Nam si servus pro quo extraneus fidejubet, & de sistendo satisdatò promittit, non debet prius in vincula conjici, qvàm si nõ defendatur, per *l. 2. de exhib. reor.* quantò magis hoc de libero homine dicendum, cùm aliàs Jura in omni supplicio severius servos, quàm liberos punierunt, *l. 28. §. ult. ff. de pœn.* Et in tantum hoc verum est, ut si judex hoc in casu, si nimirum rei qualitas admittat, nolit recipere locupletes vel approbatos fidejussores, sed reum in carcere detinere, in eum tàm ipse fidejussor, qvàm reus injuriarum actionem habeat, *textus perspicuus in l. 5. §. 1. ff. qui satisd. cog.* Et hic fidejussor, non se ad pœnam corporalem obligat, sed solũ ad factum sistendi quod reus in judicio sit comparitururs *Andr. Gerhard. exerc decad. 14. qvæst. 4. cum allegatis.* Si igitur Magistratus admittat fidejussores, & tum fortasse reus aufugiat, fidejussores non quidem corporaliter plectuntur, sed pecuniâ mulctantur, *l. 4. ff. de custod. & exhib. reor.* Nam plerumq; (*ut notat Treutl. vol. 2. disp. 28. th. 3. lit. A.*) certa pecuniæ summa à Magistratu ijs definitur, welche Sie zu erlegen sich verpflichten

müssen/da Sie den beklagten nicht stellen: Jure Saxonico muß Er sein Wehrgeld erlegen/ damit wird Er erlediget/ Landrecht. *lib.1.art.65. text. & ibid. gloss art.9. lib.3. Wesenb. in part. ff. de fidejussor. n.4. in fin.* Et hæc pecunia non solvitur pœnæ loco, quoniam non promittitur loco pœnæ, quam reus principalis debet, sed instar cujusdam pœnæ, quam ipsi debent fidejussores principaliter, nomine scilicet culpæ & præsumptæ negligentiæ, si reum sistere nequeant, quod sibi acceptum ferant, qui talem fidejussionem susceperunt. Licet Ergo contra fidejussores ad pœnam agatur, persecutio tamen criminalis contra reum in causa principali reservatur, daß man solches anders nicht / als der Peinligkeit unbeschädet annehme/ & sic salvâ manet persecutio rei fugitivi, puta procedendi ad bannum, *Treutl. vol.1. disp.5. th.6. lit.E. & ibid. Bachov. Wesenb. in par. ff. de custod. & exhib. reor. n.6. & ad h. t. n.4. in fin. Valen. Guil. Förster. disp 17. Inst. th.13.* Quod si autem dolo malo quid, ut reus aufugeret, neq; sisteretur, commisissent fidejussores, pœna arbitraria ijs irrogabatur, *textus expressus in l.4. ff. de custod. & exhib. reor. Posteriori modo*, ubi nimirum agitur de pœnâ corporis afflictivâ, vel ubi de anima periculum est, uti Imperat. Just. loquitur *in Nov. 8. in præf. §. 1.* sanè hoc in casu satisdare de judicato solvendo nō potest fidejussor, quoniam pœnam rei luere & sustinere nequit, cum nemo sit dominus membrorum suorum, sed quisq; Reip. nascatur, *l.13. ff. ad L. Aquil. junctâ l.1. §.15. de ventr. in possess. mitt.* Ad quam certè in subsidium teneretur, si reus aufugeret, id quod omninò verendū; Si enim reus animadverteret, se sententiâ corporaliter damnatum iri fugâ profectô sibi salutem quæreret, hac ratione sententiæ executionem evitaturus, atq; sic judicium redderetur elusorium, cùm jura non patiantur pœnam vagari extra autorem delicti, *l. 22. C. de pœn.* neq; alieni criminis successor ullus constituitur; sed unusquisq; ex suo admisso sorti subjicitur, *ait l. 26. ff. de pœn.* factumq; alterius non debet alij nocere, quam ei, qui fecit *l.5. §.5. in fin. ff. de op. nov. nunciat. l. 11. de dol. mal. except. l. 4 ff. de tab. exhib.* & culpa alterius non debet alterum subjicere dispendio, *l.7. C de cens. & cens.* quare caven-

cavendum est, ne respectu nocentis puniatur innocens, *l. 71. de bon damnat. l. 33. §. 1. in fin. C. de inoff. testam.*

XII.

An si fidejussor in majorem summam se obliget, quàm principali obligatione continetur, valeat fidejussoria obligatio quoad concurrentem quantitatem?

Quòd fidejussor non possit in plus obligari, quàm ipse principalis debitor, satis exinde constat, quod in accessione, qualis hîc est fidejussoria obligatio (unde fidejussores à ICtis accessiones vocantur, *l. si servum stipulatus fuero. 91. §. nunc videamus. De V. O. l. si qui accessiones 34. de fidejuss.*) nequeat esse plus, quàm in re principali. *§. 5. Inst. de fidejuss.* Sed si plus, quàm in principali obligatione fuerit, soluere promiserit, tum in concurrentem tantum tenetur, *arg. l. rogatus. 33. ff. mandati:* Ex qua lege sic concludimus, si principalis quoad minorem & concurrentem summam fidejussor tenetur mandati actione, sequitur quòd hactenus subsistit fidejussio. Fortificat deinde sententiam nostram illud, quòd obligatione vera subsistente, id tantum inutile dicitur, & pro non scripto vel adjecto habetur, quod superfluum est, *l. h. ctenus. 22. in fin. cùm l. seq. ff. de consti t. pec. l. 3. § ult. junctâ l. seq. ff. mand.* Quod namq; heîc in constituto, stipulatione & mandato receptum est, utiq; etiã in fidejussione, utpote quæ per stipulationem contrahitur, locum habere necesse est. Quæ igitur *supr. in th. 7.* pro assertione quæstionis ibi motæ adducta sunt, fidejussioni in quantum circumstantiæ patiuntur, accommodari optimè poterunt. *Opponitur* ut valdè nobis contrarians *l. Græcè 83. § illud commune. 7. ff. de fid. juss.* quòd ibi dicatur illud commune esse universis, qui pro alijs obligentur, quòd, si in duriorem causam adhibiti, omninò non obligentur. *Resp.* verba illa *omninò non*, dubia esse, & ex communi Dd. opinione etiam sic appositissimè accipi posse, ut idem significent quod *non in solidum:* Ac si ICtus dixisset, in solidum fidejussorem non obligari: Ejusq; mens hæc sit, quod illi, qui pro alijs obligentur, si in duriorem causam fuerint accepti *omninò non, id est in solidum non obligentur*;

eùm vitio careat, & cum reliqvis locis conveniat; per textꝰ etiam, quib. verba isthæc, *omninò non*, idem quod non in solidū sive in totum significent, ut *in l. cum filiof. 11. in fin ff. de leg. 1. l. si mihi purè. 59. ff. de leg. 2. l. 3 ff. qui satisdar. cog. l. voluntate 10. vers. neq; omnino creditor pignus remittit. ff. qui b. mod. pign. vel hypoth. solu.* confirmetur, in dubijs arripienda est. Quod forsan & Haloandram movit, ut legat, *non omninò:* Quem probat, & sequitur *Mynsing. in Inst. hic.* Nihilo magis deniq; dissentientium opinio stabit, etiamsi ponamus verba, *omninò nō*, sic accipi non posse: Negamus enim hîc etiam fidejussorem in duriorem causam adhibitum, cum pro concurrente summa eum fidejussisse dicamus. Si autem vellemus fidejussionem etiam respectu majoris summæ valere, nobis Vlpianum contrarium haberemus, qui negat fidejussorem in duriorem causam & majorem summam obligari posse, ac subdit, in minorem summam rectè fidejussorem accipi. Hancq; nostram sententiam ut æquiorem approbant *Magnif. & nobiliss. Dn. Præses. exerc. Inst. 13. th. 5. Vultej. ad §. 5. h. t. n. 10. Sichard. ad l. 22. C. h. t. n. 4. & 5. Andre. Gerhard. decad. 4. Exerc. th. 2. Treutl. vol. 2. disp. 28. th. 8 lit. B. ubi Bachov. & Hunn.*

XIII.

An fidejussor, si se tanquam principalem constituerit, wenn Er sich gesetzt vnd verschrieben hat zu ein Haupt- vnd Selbstschuldener / *beneficio ordinis uti possit? haud ineleganter quæri solet.*

Negativam veriorem esse existimamus: quoties enim personæ conditio locum facit beneficio, ubi deficiente ea beneficium quoq; deficit, *l. 68. de R. J.* Jam hîc fidejussor obligavit se tanquam *principalem debitorem*, als Selbstschuldener / pro alieno debito, vel creditor ejus solius, non autem personæ veteris fidem de pecuniâ habere voluerit, *Gail. 2. observ. 28. n. 3. & fin.* Meritò igitur principaliter obligatur, ita ut amplius beneficio excussionis non gaudeat: etenim si gauderet, hæc verba, *constituo me principalem*, ich mach mich selbst schuldig / certè nullius essent momenti, cum tamen verba semper cum effectu debeant accipi, *l. 1. §. 1. v. hæc autem. ff. qvod quisq. Jur. in alt. l. 5. §. 2.*

ne

ne quis cum qui in jus voc. Et in contractib. nullum verbum debeat esse sine virtute operandi, nedum clausula, *l. si quãdo. 109. ff. de leg. 1. l. si stipulatus. 4. ff. de Usur.* Ideoq; obligatio hæc, quæ in vicem principalis est assumpta rectè cum effectu est audienda, & ex hac novationis præsumptio colligitur, quæ ipsum beneficio hoc indignum reddit: Sicq; hoc speciale pactum facit, ut creditori liceat tàm fidejussorem quàm principalem convenire, *textus elegantissimus in Nov. 136. c. 1.* Recessit Ergo ab hoc beneficio, quod in ipsius fauorem erat introductum, suaq; sponte sibi hanc obligationem contraxit, *l. 36. §. 1. in fin. de Judic.* & sua culpâ hoc beneficium excussionis amisit, cum tali verborum generalitate usus sit, *arg. l. fin. C. de dot. promiss.* proinde de iniquitate vel injuria conqueri nequit: quia volenti non fit injuria, *l. 1. §. 15. de injur. l. 1. §. fin. ff. quod fals. tutor. autor. gest. l. 9. §. 1. ff. de aqv. & aq. pluv. arc. c. scienti. de R. J. in 6.* Hancq; opinionem æquiorem esse & communiter in foro observari attestatur, *Gail. 2. observ. 28. n. 6. Magn. & nobiliss. Dn. Præses exerc. Inst. 13. th. 17.* Et ita etiam in scabinatu Jenensi pronunciatum esse scribit, *Coler. de process. exec. part. 1. c. 10. n. 307.*

XIV.

An perfecta emptione periculum & commodum rei venditæ ante traditionem pertineat ad emptorem?

Ita statuitur *in l. 7. cum seq. l. 11. ff. de peric. & commod rei vend. § 3. Inst. de contr. empt. l. 31. de action. empt. l. fin. de condict. caus. dat. l. 5. § 2. de rescind. vend. l. 21. de hæred. & act. vend. l. 4. l. fin. C. de peric. & commod. rei vind. l. fistulas. 78. § ult. de contr. empt. à contrario sensu.* Et quidem ob rationes non leves: 1. enim venditor hic debitor speciei est, quæ rei interitu li-

buerit, *arg. l. 15. ff. de R. J. l. 143. ff. de V. S.* Ergò sibi imputet, quòd suum à venditore non avocaverit, *sæpè cum honore allegatus Magnif. & nobiliss. Dn. Præses, Exerc. Inst. 14. th. 3.* III. Consensu in pretium facto res æstimata est; Vera autem æstimatio periculum transfert in eum, cui æstimatur, ut hîc emptori, *arg. l. plerumq. 10. l. quod sper eam 15. ff. de Jure dot. l. æstimata 51. sol. matrim. l. cum dotem. 10. C. de Jur. dot.* & satis elegans textus *in l. un. §. 9. in fin. C. de Rei Vxor. act.* IV. Is, qui sentit commodum, debet etiam sentire incommodum, *juxta tit. Inst. de legit. patron. tut. & l. 10. ff. de R. J.* Sed commodum rei venditæ etiam ante traditionem spectat ad emptorem, *l. 7. §. 3. ff. de peric. & commend. rei vend. l. 1. l. 5. C. eod.* Ergò. Et hæc ita procedunt, si per emptorem stetit, quo minus res sit tradita. Cæterum si res vendita perit ante traditionem culpâ, morâ vel calliditate venditoris, tunc ad ipsum pertinet rei periculum, *secundum J quòd sineq. 14. ff. de peric. & commod. rei vend. D. l. cum speciem 5. C. eod. l lectos 12. cum duab. seqq. ff. eod. l. 39. ff. de solut. l. 14. & 27. ff. de furt. ut distinguit Mynsing. Cent. 6. observ 6. & Wesenb. in par. n. 7. & 8. ff. de peric. & commod. rei vend.* Quandiu autem non stat p venditore, per ipsum emptorem, ut dictum, intelligitur stare, qui rem sibi tradi non postulat, cum ad aliud venditor non teneatur, *arg. l. 18. in pr. ff. de const. pec. Heig. hic n. 2. & seq. Anton. Matth. hic ad §. cum autem.*

XV.

Num liceat contrahentib. in pretio emtionis naturaliter, se circumvenire?

Primo intuitu justitiæ commutatione nihil videtur magis contrarium, quàm propositam quæstionem affirmare velle; quippe quod in sacris literis dicatur *1. Thessal. 4.* Ne quis opprimat aut fraudet in negotio fratrem suum, propterea quòd ultor est dominus de his omnibus &c. *1. Cor. 6.* injusti, veluti qui damno afficiunt fratres, regni Dei hæreditatem non consequentur. Nihilominus tamen, si hæc omnia cum grano salis accipiantur, non videmus quâ ratione affirmativam *in l. si in causa, 16. §. item Pomponius. ff. de minor. 23. l. item si. 22. S.*

fin.

fin. ff. locat. satis dilucidè & firmiter stabilitam reprobare decimus. Siquidem dicta ex scriptura Sacra pro negante parte allegata *de fraude & deceptione malevola*, quæ non minus in jure nostro æquâ detestatione, & sub pœna merita transgressoribus destinatâ, prohibetur, *l. 3. §. fin. ff. pro soc.* sunt intelligenda. Nos verò deceptionem eam tantum hîc ponimus, *quæ citra fraudulentum consilium, re ipsa & incuria contrahentium contingit, Magn. & nobil. ff. Dn. Præses exerc. 14 th. 5.* Vnde eam *Gothofred. ad d. l. in causa cog. 16.* prudentiam & industriam quandam tantùm œconomicam, studiumq; aliquod tantum rei familiaris augendæ appellat. Quæ, ut licita sit, *natura contractus, ut docent Hispani, vel ut Galli rectius, Jus Gent.* efflagitat. Hæc enim intentio & scopus ementium & vendentium, quod illi quidem minoris emere: hi verò pluris vendere velint: Et ad hunc modum emptionis & venditionis substantia esse dicitur, ut emptor viliore comparandi, venditor cariore distrahendi votum gerat. *l. 8. C. de rescind. vend.* Cui circumventioni tamen, ne nimium iniqua evadat, meta præscripta est ab Imperatorib. Diocles. & Maximin. *in l. 2. C. de rescind. vend.* per hoc statutum; ut si venditor in precio ultra dimidium Justi pretij (hoc in majoribus obtinet: Minor enim deceptus infra dimidium Justi precij restituitur, *Gothofr. ad d. l. 8. C. de rescind. vend. lit. R*) circumscriptus fuerit, tùm in venditoris arbitrio sit, vel rem venditione rescissâ, vel id, quod justo deest precio, recipere. De qua lege utpote singulari & accuratiori tractatione propter diffusam ejus utilitatem optimè dignâ, instituti nostri ratio, studiumq; brevitatis, latius hîc discurrere non sinit. Alij quærendi.

XVI.

Locator prædij vel Dominus directus conductorem

Magiſtratu irrequiſito, vindicare. Jus enim publicum idcircò judiciorum vigorem, ejusq; tutelam in medio poſuit: ne quilibet privatus ſibi ipſi valeat permittere ultionem, *l. nullus.13.C.de Iudais.* Et ſingulis concedendum non eſt, quod per Magiſtratum publicè fieri poteſt, ne occaſio ſit majoris tumultus faciendi, *l. 13. §. ſed ſi inter duos.3. de Vſufr. l. non eſt ſingulis.176. de R. J.* Quibus accedit, *l extat. 13. ff. quod metus cauſa. & l ſi quis in tantam. 7. C.unde vi.* Nec obſtant *l. 3. C.de locato. l. 2. C. de jure emphyteut. & l. 54. §. inter locatorem. ff. de locat. & conduct.* quæ à contrarium ſentientib. utplurimum pro ſe allegari ſolent: quia in his ll. verba expellendi & repellendi non ſignificant corporalem expulſionem, quæ propria & privata autoritate fiat, ſed legitimam, quæ per remedia juris actionesq; competentes, authoritate judicis. *vide Magnif. & nobiliſſ. Dn. Præſid. exerc. Inſt. 14.th.15. Hunn. lib. 3. V.R.J. C.tr.7.part.2. quæſt.3.*

XVII.

Vtrum conductor de caſu fortuito teneatur, ſi in ſe ſuſceperit periculum? valdè controverſum eſt.

Quemadmodum in nullo b.f. contractu fortuiti caſus præſtantur, *l, 6. C. de pignor. act.* Ita nec in locat conductione, niſi culpa debitoris & conductoris is caſus evenerit, *§. item is. 2. Inſt. quib. mod re contr. obl.* aut debitor in mora fuerit, *l. ſi ex legati. 23. ff. de V. O.* Aut debitor pacto caſum fortuitum in ſe receperit, *d. l. 6. C. de pignor. act. junctâ l. ea quidem 1. C. de commod l.23. ff. de R.J.* Pacta enim de his præſtandis, ſi non ſint contra leges ſervanda ſunt, *l. ſi quis demum. 9. §. Julianus 2. ff. locat. d. l. contractus. 23. ff. de R. J.* Jam hîc conductor in ſe ſuſcepit caſum fortuitum, per promiſſam præſtationem periculi. Siquidem periculum ut genus ſub ſe conprehendit omnem caſum, qui cum, vel absq; culpa contingit, *arg. l. 1. l. ſi in venditione & l. quod ſi neq; 14. de peric. & commod. rei vend.* hinc trita juris regula: generalis proviſio tantum operatur, quoad omnes caſus, quantum, ſpecialis, ſive enumeratio ſpecierum, quoad quædam, *arg. l. omnes. 4. C. de præſcript. 30.* Ergò & caſum fortuitum

præ-

præstare debet. *Hunn. lib. 3. V. R. J. C. tr. 7. part. 2. quæst. 4.*

XVIII.

An ex locatione conductione præstetur culpa levissima? Affirm.

Per textum expressum *in l. 25. §. qui columnam. 7. ff. de locat. cond.* Vbi à conductore tum demùm culpa abesse dicitur, cum omnia fecerit, quæ pater f. *diligentissimus* in superlativo, non diligens in positivo, *ut Bocer. & alij opinantur, allegantes l. heredes. 25. §. non tantum. 16. ff. fam. ercisc. l. si ut certo. 5. §. custodiam. 5. ff. commod. l. in re mandatâ. 21. C. mandat. quibus in locis vice versa positivus pro superlativo positus;* observaturus esset. A quò autem exactissima diligentia requiritur; Is sanè de levissima culpâ tenetur. Hanc nostram sententiam solidiorem reddit, eodem vocab. *diligentissimi* utendo §. *conductor. 4. 5. Inst. locat.* Sunt equidem nonnulli, qui vers. hunc pro assertione opinionis nostræ nihil agere ajunt; propterea, quòd inibi exceptio præcedentis regulæ contineatur. Sed hoc negamus. Verba enim *Abeo* hîc non exceptionem, ut contra sentientes volunt; *sed declarationem* prioris regulæ important. Res clarior ut evadat. *In pr. istius §.* traditur regula, quòd omne id servandum sit, quod in locationis contractu dictum fuerit, quodq; omissum, ex æquo & bono suppleri debeat. Hic vers. autem ostendit pro declaranda reg. quid ex natura contractus circa culpam observandum veniat. Si deniq; conductor soli præstationi casuum fortuitorum regulariter est exemptus, reliqua omnia præstare debet, & sic per consequens culpam etiam levissimam. Atqui prius est *in l. in judicio. 28. C locat.* Ergo.

XIX.

societ. l. cum duob. 52. §. 1. ib: si in coeunda. ff. pro soc. Ita ob hoc ipsum etiam, quòd de lucro cavetur, ut id commune sit, de pecunia aliud cautum intelligitur, ne sit communis, *arg. l. si cum dotem. 22. in pr. ff. sol. matrim. l. commodissime. 10. ff de lib. & posth.* deinde etiam societas continet Jus fraternitatis & aequalitatis, *l. 63. in pr. ff. b. t.* At si pecunia illa dividenda esset; magna oriretur inter socios in aequalitas. Nam conferens pecuniam duplici incommodo afficeretur, si nihil lucri finitâ societate, sed tantum pecunia adesset. Tùm quia dimidiam partem pecuniae amitteret; tùm quia eandem habuisset ociosam, nec quicquam fructuum inde percepisset; quòd tamen potuisset, si eam collocasset in emptionem praediorum, aut aliam quandam negociationem. Pecuniam igitur istam finitâ societate solus praecipuam habet, qui contulit, *ut docet Donell. Sichard ad l. 1. C. pro. soc.* Sicut & damnum, si fortassis pecunia perierit, *l. 29. §. 1. pro soc. arg. l. secundum naturam. 10. ff. de R. J.* Res enim suo domino perit, *l pignus. 9. C. de pignor. act.*

XX.

Mandavit quis vulnerare; expressè tamen prohibuit occidere: mandatarius autē occidit, quaeritur, An mandans ordinariâ homicidij poenâ teneatur?

Quod mandans delictum, eadem poenâ, quâ mandatarius delicti autor, sit afficiendus constat: *ex l. 7. §. fin. ff. de Jurisdict. l. 1. §. 1. ff. de eo per quem fact. l. 15. ff. ad L. Cornel. de sicar. & ibi Gothofr. l. t. f.* ubi mandator caedis pro homicida habetur; quod non posset dici, si non eadem, quâ homicida, sed diversâ afficeretur poenâ. Satis hoc etiam elucescit ex *l. 3. §. 4. ff. ad L. Corn. de sic.* ubi expresse sanctum extat, illum ordinaria homicidij poena *ex l. Corn. de sic.* plecti debere, quo sciente familia saltem ejus arma sumserit, quoq; autore seditio fuerit orta. *Sed si mandans expressè dixit mandatario, ne occidat, sed tantum percutiat,* aliud dicendum. Vbi enim animus occidendi abfuit, ibi locum non habet poena legis Corn. de sicar. *l. 1. §. Divus. 3. ff ad L. Corn. de sic.* Mandans autem tantum vulnerare non habuit animum occidendi: dum enim occisionem prohibuit, mandasse intelligitur vulnus infligi leve, non lethale,

thale, non in capite, sed in alia quadam corporis parte mortis periculo minus obnoxia, non gladio ad occidendum apto, verum alio instrumento minus nocivo. Deinde ut pœna legis Corn. de sic. locum habeat, requiritur dolus, *l. in l. Corn. ff. ad l. Corn. de sic. & ibi Gothofr.* At mandans in nostro casu saltem est in culpa *Magn. & nobiliss. Dn. Prases exerc. 15. th. 9.* Pro tertio non semper, qui mortis causam præbuit ultimo supplicio esse afficiendus, *l. 3. §. 3. vers. sed & ex SCto ff. ad l. Corn. de sic.* denique non eventus, sed principium perpetrandi delicti introspiciendum est, *l. 53. ff. de furt. l. 1. §. 1. l. 3. §. 1. ad L. Corn. de sicar.* At initium ex animo æstimamus, qui in casu nostro fuit talis, non ut interficeretur homo, sed percuteretur. *Magn. & nobiliss. Dn. Præs. d. exerc. 15. th. 9. Hunn. lib. 3. V. R. J. C. tr. 7. part. 4. quæst. 5.*

COROLLARIA POLITICA.

I.

AN Doctoribus Bullatis competant privilegia eorum, qui in Academijs rite promoti sunt? Affirm.

2. Potestne Imperator Auream Bullam, si velit abrogare? Neg.

3. An Legatus in principem ad quem missus est, conjurans, puniri possit? Affirm.

4. An Confraternitates seu cõfœderationes principum & illustrium familiarum licitæ & concessæ sint?

cujus viventis, consensus illius, de cujus hæreditate agitur, accedit, & ad finem usq; in eodem perseveret. Rectè, si perseveret: sic enim omne votũ captandæ mortis cessabit: Secus, si pœnitẽtiâ ductus cõsensum revocaverit: tunc & ipsum pactum corruere, & pro nullo haberi, dicendum.

5. Vtrum pugnæ interesse ipsum Principẽ oporteat?

6. An Syderibus Rerump. conversiones adscribendæ?

Præstantissimo & literatissimo Dn Respondenti, Fautori, amico & συσσίτῳ suo dilectißimo.

Rem miram tentas! nusqvam non jungere pacem.
Tentant Magnates sociam vigilante labore,
Hinc procul è Patriâ pulsis civilibus armis;
(O utinam nunqvam rediviva videre darentur!
Sed potius sincera fides Germanica cunctis!)
Tu tamen è contra rejectâ pace, rapessis
Bellum, gestis & à diro hoste referre triumphum:
Scilicet in tali bello, victoria quo non
Qværitur humano permulto sangvine, docto
Sed mage discursu, dubijs ratione fugatis:
Quo sustentatur Res Publica privaq; sana.
Qvapropter licitum moliris, laudeq; dignum
Bellum, è quô magnâ mox utilitate Tuorum
(Quod mihi promittit virtus tua) victor abibis.

honoris & amoris ergo
faciebat
ANTONIUS Glock / Francofortanus ad Moenum.

SOLI DEO sit Laus, Honor & GLORIA.

